



Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

35. Tres diei partes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Personæ variant, majestas unica Trinis,

Unica sic arcu lux tricolore micat.

Misticè juxta S. Amb. lib. de arcâ & Noë cap. 27. Iris est clementia Dei, quæ primò quasi arcus contentus, sed carens sagittâ, per adversa quæ immittit, magis terrere vult, quam ferire. Secundò Iris versicolor recreat, & imbræ variis in terram effundit, ita facit & misericordia Dei. Tertiò Iris est semi-circulus in nostro hemi-sphærio tantum apparet: ita & Dei misericordia tantum apparet in hac vitâ, justitia vero in alterâ.

S Y M B. 33. de eodem

Roriferis fulget tricolor sub nubibus arcus,
Cæruleus, viridis, purpureusque nitet.
Est ætas æterna Patris signata virenti,
Cæruleo in terris lividus ore Deus.
Igneus at Flamen Divis qui pectora flammis
Purpurat, en rubeâ luce notatus Amor.

S Y M B O L U M 34.

Tria sunt causa motûs sursum
Natura, violentia, artificium.
Decreto Triadis lectam super aëra sedem
Ignea nativâ vis levitate petit.
At lapis impressâ virtute per aëra fertur,
Arcu vim fundâ, vel sibi dante, manu.
Flaminis in puras manant ita flumina mentes,
Fons velut occultis exilit arte tubis.

S Y M B O L U M 35.

Tres diei partes.

Auras lux oriens concentibus implet, & aures,
(a) Est veneranda Trias laudibus orta tuis.

In-

Instructasque tuo lustrat quot munere mensas ,

Tot tibi lux grates dimidiata refert.

Lux oritur jussuque tuo procedit eodem ,

Occidet , (b) at numquam laudibus orba tuis.

(a) Vespere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo laudem tuam, ps. 54. (b) iuxta illud: benedicam Dominum in omni tempore. Et: in omnibus gratias agamus Deo. Hinc S. Aug. in psal. 132. laudat morem veterum, qui frequenter habebant in ore; Deo gratias. Eoque se invicem salutabant: uti & D. Virginem. Obvios salutasse quidam tradunt.

S Y M B O L U M 36.

Lacuna herba cui nomen trinitas ,

Quod tria tantum folia producat.

Si proprius Triadem mens est cognoscere, prodit

Frondibus assurgens una Lacuna tribus.

Personas frondes proprio tres nomine , Numen

Unum, signatus ramus & unus, habent.

Si foret hærecon sex Arriana superstes ,

Inficias iret, vel dubitaret adhuc ?

S Y M B O L U M 37.

Oxalus gemma, teste Plinio l. 3. c. 37. unico momento tres distinctos colores dat confieundos. Ab uno latere apparet ignitus, & representat carbunculum. Ab altero rubicundus: oblique si videris, viridem smaragdum putabis.

A Spicis hunc trino lapidem fulgere colore ,

Quas jacit æthereâ fulgor ut arce faces.

Parte vibrans unâ, veluti carbunculus , ignes ;

Altera purpureo tota colore rubet.

Pars obliqua refert viridem fulgore smaragdum

An non in Triadis condita gemma fidem ?

S Y M